



felicissima illa nova ieiunii eucharistici disciplina et concessio Missarum in horis vespertinis.

d) Opportunae vero, imo necessariae illae applicationes apparent ut magis conscia, actiosa et fructuosa evadat participatio fidelium sacris mysteriis.

Non enim ex sterili archeologismo aut ab insano novitatis pruritu illae promanant, sed ab instantia quotidiana pastorum *et ab exigentiis*¹⁸ pastoralibus, cum participatio actiosa S. Liturgiae sit, iuxta memoranda verba S. Pii X, prima et insubstituibilis fons spiritus christiani.

Velint, oro, Episcopi Ecclesiarum illarum quae nunc temporis heroicum testimonium Iesu Christo feliciter reddunt, non silentes sed voce magis quam sanguinis *voce Abel*¹⁹ loquentes, quaeque scholis, diariis, laicorum coetibus et conventibus carent, et solam sacram *servant*²⁰ Liturgiam, velint, oro, dicere nobis quae sit Liturgiae efficacia et vis ad animos efformandos fortes in fide.

Velint et Pastores nascentium Ecclesiarum confiteri quanta qualisve sit pastoralis necessitas instaurationis, quam schema nobis propositum prospicit et promovet.

Quod ad me attinet, humillime testari possum vitam liturgicam muneris meo pastoralis, vitae spirituali communitatis fidelium, iustitiae praesertim et *caritatis sensui educando*,²¹ esse veraciter et feliciter ditissimum et pretiosissimum adiutorium.

Quapropter, proposito schemati globatim sumpto et salvo de particularibus emendationibus iudicio, meam adprobationem libentissime in Domino dabo. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ diem decimam quintam. ² deest. ³ omnes equidem. ⁴ deest. ⁵ datum est nosse. ⁶ mihi in suo complexu. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ de opere missionario. ¹¹ magisque. ¹² politicam. ¹³ deest. ¹⁴ f. r. ¹⁵ (decies?). ¹⁶ deest. ¹⁷ rei. ¹⁸ ab exigentiis nempe. ¹⁹ Abel voce. ²⁰ habent. ²¹ caritati.

4

EM.MUS P. D. IOANNES B. CARD. MONTINI
Archiepiscopus Mediolanensis

Liceat mihi quoque, ut metropolitae regionis Longobardiae et moderatori ritus ambrosiani, votum proferre, quo schema propositum quoad substantiam aperte approbem et hunc Patrum coetum amplissimum rogem, ut principio faveat, quo totum schema mihi videtur inniti: hoc



principium eo spectat ut S. Liturgiae maxima efficacia pastoralis tribuatur.

Etenim schema videtur magnopere commendari propter ea quae in par. 5 affirmantur, scilicet: *Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen in suo centro, quod est Divinum Eucharistiae Sacrificium, culmen ad quod omnia tendere debent, et simul a quo omnia procedunt.*

In hoc igitur schemate *de sacra Liturgia*, si totum spectetur, vera quaedam aequabilitas habetur, ut opinor, inter duas sententias, quae pariter fini pastorali Concilii officiant, scilicet:

1. Schema non est huiusmodi ut cedatur iis, qui cum levitate animi et ad suum arbitrium innovationes inducere volunt, vel, quod peius est, hoc modo damnum inferunt rebus divinis et humanis, magni aestimandis, quae in sacra Liturgia continentur et ad gentem christianam per tot saeculorum decursum transmissae sunt, germanae huius traditionis unitate, quoad substantiam, servata. Ii qui ritum ambrosianum sequuntur, peculiari ratione, ad hoc quod attinet, se fideles praebere cupiunt.

2. Schema insuper non favet opinioni eorum, qui asserunt ritum debere esse omnino immutabilem, seu qui caerimoniis historia traditis nimis adhaerent et formam, qua cultus exprimitur, praeferunt ei, quod hac ipsa forma essentialiter significatur...¹

Itaque propositum schema efficere videtur, ut duabus rebus constanter inhaeretur: essentiae ipsius Liturgiae, quae omnino defendi debet atque servari, et formae traditae seu historicae, scilicet modo, quo celebratio divinatorum mysteriorum quasi vestitur; quae quidem forma mutari potest, prudenter tamen sapienterque et ad aptiores rationes revocari. Schema igitur nequaquam imminuit cultus catholici patrimonium divinum et a maioribus acceptum, sed permittit et suadet, ut commissiones post Concilium instituendae — in quibus etiam episcopi qui pastores sunt animarum, praesentes esse debent — idem patrimonium reddant planius, magis comprehensibile et utilius hominibus nostrae aetatis, quibus ut pastores ex conscientia officio obligamur.

Etenim propter onus nostri, quo traditionem formarum ecclesiasticarum tueri debemus, nihil detrahendum licet de obligatione etiam maiori, qua tum Deo et Christo, tum populo christiano et hominibus temporum nostrorum devincimur. Novimus enim societatem hanc nostram, tanto in discrimine versantem quoad religionem, praesertim ope verbi liturgici hodie ad Christum, ad Ecclesiam, ad salutem pervenire posse.

Hoc recogitandum est, maxime cum agitur de lingua in cultu adhibenda, usus linguae antiquae et a maioribus traditae, videlicet linguae



latinae pro Ecclesia latina, firmus sit ac stabilis in iis partibus ritus quae sunt sacramentales ac proprie vereque sacerdotales. Hoc ideo fieri debet, ut unitas Corporis Mystici orantis...² accuratio sacrarum formularum religiose serventur. Tamen ad populum quod attinet, quaevis difficultas intelligendi auferatur in partibus didacticis sacrae Liturgiae, ac detur fidelibus quoque facultas exprimendi verbis comprehensibilibus preces suas, quas Deo adhibent.

Non enim licet nobis oblivisci quod S. Paulus in cap. 14, *1 Cor.* discrete docet, scilicet affirmat eum qui orat in Ecclesia, mente intelligere debere id, quod ore efferat et respondere « *Amen* » scientem quid dicat. Liturgia nempe pro hominibus est instituta, non homines pro Liturgia. Ipsa est precatio communitatis christianae; si cupimus, ne haec communitas templa nostra deserat, sed ut eo libenter accedat ibique ad interiorum animae vitam formetur et fidem suam digne exprimat, prudenter, sed sine mora et cunctatione, amoveri debet impedimentum linguae quae intelligi nequit, vel admodum paucis tantum est accommodata, quaeque gentem nostram non ad participandum cultum divinum allicit, sed ab eo abalienat, quemadmodum egregie enuntiatur in par. 24 constitutionis examinandae.

Sententiae Sancti Augustini meminisse vanum non erit, quae monet: *Melius est reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi* (in *Ps.* 138, 20).

Item laudandum mihi videtur principium vi cuius caerimoniae in simpliciores formas redigendae sint, non ad minuendam cultus pulchritudinem et uberem significationem, sed ad efficiendum ut caerimoniarum brevitati recte consulatur et repetitiones omnesque implicationes vitentur; quo principio reformatio liturgica, quae annuntiatur, innititur, idemque indoli hominum, etiam piorum ac fidelium, qui nostra aetate sunt, valde congruit.

Quasdam autem animadversiones peculiare scripto consignatas mihi addere placet, quae commissioni ad quam spectat proponuntur, illam imprimis, quae respicit Liturgias religiosorum; optarem enim ut pag. 169 post par. 32 mentio fiat vel nova paragraphus inducatur de liturgiis, rite recognitis, si opus fuerit, religiosorum exemptorum ob historicum earum momentum et spirituale dignitatem...³ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ hoc autem eo pertinet, ut inter Deum et animam, inter Deum et communitatem christifidelium intimae rationes intercedant. Illi vero ignorare videntur mutationes et necessitates gravissimas quae in vita hominum recentissima hac aetate ortae sunt. ² et. ³ Quoad schema constitutionis de S. Liturgia haec mihi videntur peculiari ratione animadvertenda:



pag. 167, par. 25: Una conficiatur S. Scripturae authentica versio in singulos sermones vulgares, qua omnes uti debeant sive in liturgicis ritibus sive in catechesi tradenda. Pag. 169, par. 31, linn. 6-7: « salvis consuetudinibus... »: haec exceptio, cum vim omnem auferat normae propositae, meo iudicio expungenda est. Pag. ib., par. 32: auctoritas, qua quivis episcopus in sua cathedrali ecclesia polleat, maior sit ea, qua aetate nostra uti potest in iis, quae ad cultum et administrationem pertinent. Pag. 176, par. 44, lin. 23: loco « aliter » scribatur « digne ». Pag. 180, par. 48: instauratio catechumenatus adultorum, in plures gradus divisi, non est facile ad usum deducenda; sit summum in cuiusque libera facultate posita. Pag. 182, par. 63: nova paragrapho inducta enuntietur cardinalis dignitatem religioso quodam ritu esse impertiendam. Pag. 187, par. 72, lin. 1-2: orationi dominicae ad Laudes et Vesperas dignior locus tribuatur, ita ut haec oratio iis in horis quasi fastigium emineat. Symbolum apostolicum seu *Credo* in Officio Divino, saltem die dominica, iterum suum locum obtineat.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

De principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam et fovendam, optime exponitur sub nn. 1 et 2 sacrae Liturgiae natura eiusque momentum in vita Ecclesiae, liturgica institutio et actiosa participatio. Sine dubio maxima cura adhiberi debet ad procurandam tam in clero quam in populo christiano consciam, actuosam et fructuosorem participationem sacrarum celebrationum, et cavendum est a mera divulgatione et participatione tantum externa, quae forsitan speciem praebet verae vitae liturgicae, sed ab adoratione in spiritu et veritate multum distat.

Sub n. 3 agitur de sacrae Liturgiae instauratione. Bene recolitur liturgiam constare parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationibus obnoxiiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent. Eiusmodi mutationes admitti possunt quatenus ad legitimam progressionem requiruntur et ad veram utilitatem Ecclesiae conferunt, quae ut attingatur, retinenda est sana traditio et instituenda accurata investigatio non solum theologica et historica, sed etiam pastoralis. Sunt quidem tam inter clerum quam inter populum qui, imbuti potius quodam « historicismo » quam vero sensu pastorali, magnas innovationes exoptant quin utilitatem fidelium satis perpendant.

In his rebus pastores animarum non semper idem sentiunt ac illi qui aspectum speculativum et historicum cognitum habent. Ex. gr. pa-